

QK. 523, 22.

22  
L. B. V.

B. M.

HC  
6

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO  
**DN. FRIDERICO AVGVSTO**  
ELECTOR. SAXON. HEREDE  
ETC. ETC. ETC.

# HISTORIAM SCHOLIASTARVM

PVBLICE PROPONIT ET EXCVTIT  
PRAESES

X 2313066

**M. ERDMAN. GOTHOFREDVS  
CAMENTIVS**

AL. EL.

RESPONDENTE


**JUSTO HENR. CALMBERGERO,**  
SALZ. THURING. SS. TH. ET PH. CULTORE


AD D. III. IVL. A. c I<sup>o</sup> I<sup>o</sup> CC XV

HORIS MATVTINIS

---

VITEMBERGÆ  
Typis CHRISTIANI SCHROEDERI Acad. Typ.





## §. I.


 Antiquitatem ultimam, si a sacris divinisque literis  
 discesseris, silentio obrutam oppressamque fuisse,  
 atque oblivione quadam posteritatis deletam vel-  
 uti & extinctam, recte arbitramur. Etsi itaque  
 magna se difficultas obiicit, haec rimari vetera, originumque  
 rationes & causas idoneis argumentis demonstrare, ratio tamen  
 silentii expedita videtur, quam in fabulis Poetarum, quae  
 tempora mox infecuta fuere, perspicimus, videlicet abdita  
 ea, abstrusa & recondita, ac velut in tenebris diurno situ  
 vetustatisque squalore obsita, prius iacebant, quae tot tan-  
 tisque scriptorum monumentis celebrari debebant & confir-  
 mari. Fabulis tandem scripta, quibus ad id tempus utimur,  
 successerunt, adeo, ut antiquitatis recessus, quemadmodum  
 recte iudicat Franciscus Baconus, Praef. de Sap. Veterum, ab  
 insequentium memoria seculorum, tanquam velo quodam fa-  
 bularum discreti sint & separati, quod se interposuit & obie-  
 cit medium inter ea quae perierunt, & ea, quae supersunt.  
 Scripta vero, ex quibus utilitas capit, late patent, eaque vel  
 incorrupta & a mendis liberata, vel, inclinante aetate, incul-  
 tius composita sunt. Hinc, ubi vitium fecerunt, emendatio-  
 nem, ubi vero intellectu difficilia sunt, lumen desiderant. Nam  
 ut de verbis & rebus verius exquisitusque existimare, ac, quae  
 ob antiquitatis obscuram notitiam non statim patent, acrius  
 considerare possimus, futurus vero usus scienter adornetur,  
 adhibenda est retexendi & recognoscendi scripti solertia, quae  
 ipsam rei criticae antiquitatisque notitiam complectitur. Ha-  
 benda igitur gratia est iis, qui, aetate literis instauratis proxi-  
 ma, praecipua laude hac in re floruerunt, Vallis, inquam,  
 Barbaris, Politianis, Crinitis, Beroaldis, Gyraldis, Rhenanis,  
 Erasinis, Manusis, Stephanis, Camerariis, Hotomannis, Vi-  
 ctoriis, Sighoniis, Xylandris, Passeratiis, Scaligeris, Lipsiis,  
 A 2 Dousis,

Dousis, Casaubonis, Rittershusiis, Gruteris, Grotiis, Rutger-  
siis, Rigaltiis, Ryquiis, Schottis, Berneggeris, Meursiis, Sal-  
masiis, Barthiiis, Heinsiis, Freinsheiniis, Bongarsiis, Spanhemiis,  
Dacieriis, Bentleiiis, Stanleiis, Perizoniis, Gronoviis, Grae-  
ciis, Burmannis, aliis, quorum commentationibus multum  
quidem lucis affunditur scriptoribus, lectorumque intelligen-  
di ac iudicandi facultas praecclare adiuvatur. His enim ma-  
gistris critica ars magnopere literas amplificavit, insignemque  
eis utilitatem, si vere de illa statuatur, attulit. De hac ta-  
men arte Petrus Dan. Huetius (*a*) in Origenianis, paullo ini-  
quius existimare videtur, quando, plus eam perniciei, quam  
utilitatis in literas intulisse, ait. Ideo enim docti libros e-  
mendare solent, non, ut tenebras offundant, aut optimos  
scriptores contaminent ac corrumpant, sed, ut codicum ma-  
culas eluant & suam scriptori germaniam sententiam reddant.  
Huetius hic non multam discedit a Seneca, qui sapienter qui-  
dem ait : *Non discere debemus ista, sed didicisse*, id est, non  
in haerere istis & occupari, sed ad Philosophiam praeparari.  
Verum Seneca ex Stoicorum sententia iudicat, qui sapienti-  
am tantummodo in rebus, non in literis & verbis ponebant.  
Rei huius clariora vestigia cernas apud eundem Ep. LXXXVIII,  
& CXV. Novimus quideam, neque id inficior, Graecos inpri-  
mis, quos ideo φιληδονίς & dulcibus Poetarum nugis interdum  
obsecutus vocat Dion Chrysostomus Orat. Troian. p. 567. sae-  
pumero levibus verborum notionibus plus satis delectatos  
fuisse, id quod etiam ex fragmentis Ctesiae, apud Photium, in  
Bibliotheca, appareat, ex Apollonio item Alex. qui Syntax. L.  
III. veterum ἀποφάσεις Criticorum passim recenseret. Nihil  
non tentarunt isti homines, qui, nimia corrigendi libidine  
& prae-

(*a*) L.I.c.V. §.5. Ex arde sco, inquit, quotiescumque viles de plebe Gram-  
maticorum literatores bonis auctoribus inscitiae suae virus asper-  
gentes, video. Atque haec pestis nibil non pervagata est.

& praepostero quodam acumine ducti, multa scriptoribus aliena affinxerunt, unde propemodum infinitae lectionum varietates sunt enatae. Exemplum habemus in poemate Arati, quod mirifice interpolatum fuisse, Hipparchus memoriae prodidit. Fatendum vero est, hic cum primis inscitiam & stuporem librariorum, quos eam ob rem Irenaeus & Hieronymus iure iurando obstrinxerunt, culpa non vacare, praesertim in rebus quae ad fidem religionemque spectant. Reliquas decipiendi artes silentio iam transmitto. At enim, nihil ideo de utilitate & commendatione Critics detrahi, aut omne studium negligi ac deserri, debet. Latissime patet eius utilitas, neque his scriptoribus, aut finibus tam angustis continentur, vid. Huetius de optimo genere interpretandi. Quemadmodum igitur olim *repositorya* donariorum sacra non erant, nisi derivatione quadam cognationis, quia res sacras custodiebant, ita etiam ars critica, quae res deperditas restituit & servat, severa existimandi ratione ideo dicitur *τέχνη νοέτια*, quia de optimis scriptoris sententiis, & interpretatione eius germana iudicium facit, & si quae sint variae lectiones, optimam ac sententiae scriptoris convenientissimam felicit, eamque castigatiorem reddit. Enarratores autem s. Scholiaстae ideo sic appellantur, ut, si quod negotium libri alicuius conditor verbis difficilioribus & obscurioribus, aut sententia forsitan abstrusiore, facessierit, inter lucubrationes (de quibus §. 2.) nihilominus noctibus contractioribus factas, de otio cogitare, hoc est, acriori severiorique iudicio & censura abstinere, nihilque affingere scriptis, neque novam plane atque ab ipsius mente scriptoris abhorrentem, sententiam eruere debeant. Cauto tamen in primis hic opus est, ut, si numerus eiusmodi criticorum & scholiaстarum augeatur, ne, vel iis nimium intenti, iudicio nostro minus utamur, vel, illorum obruti mole, scriptores iplos fastidiamus, uti de ineptis quo-

rundam rhapsodiis Thom. Faber Ep. LIX. & Pacichellius, Itin. T. I. Ep. XIX. commonuerunt. Constat igitur suus arti criticae honos, maneat integra & incorrupta eius dignitas, neque non in posterum utilitati eius à doctissimis viris maximum pretium statuat, conf. Scioppius de Criticis & Philologis veteribus & recentioribus, Vossius de arte Grammatica, Janus Gruterus in Thesauro Critico. Ipsi olim Principibus studia haec Philologica tantopere fuisse cordi, ut ad honestam animi remissionem, & colloquia supra mensam, iis sint usi, testatur Plutarchus, in Alexandro, qui (b) etiam commemorat, Aristotelem emendasse Iliada, eamque editionem appellatam ēn τῇ ναῷ Θητοῖς, quod Alexander eam condiderat in thecam, qua Darii unguenta solita erant assevari. Quanquam Strabo confirmet, Alexandrum ipsum cum Callisthene & Anaxarcho, Homerum emendasse. Quae ramen cuiusmodi demum sint, Alexander Iliadem suam, emendatam ad vetera exempla, & doctorum Criticorum normam, in conditorio ναῷ Θητοῖς circumferebat, eamque appellabat ēn τῇ ναῷ Θητοῖς. Sic Patres anti qui Critices studium tanta cura diligentiaque colebant, ut illud etiam tempus, quod quieti animique relaxationi ac remissioni dandum erat, in eo collocarint, si audiamus id quod memoriae mandat Origenes (c) apud Cedrenum. Non reiiciendas esse vocum observationes tanquam frivolas & inanies, Basilius (d)

Pro-

(b) Ait enim: ήν δὲ Θύτει Φιλολόγῳ καὶ Φιλομαθῇς καὶ Φιλανθρώπῃς, καὶ τὴν μὲν Ιλιάδα, τῆς πολεμικῆς ἀρχετῆς εφόδιον, καὶ νομίσων καὶ σύνουλάν, ἐλαβε μὲν Αριστοτέλες διορθώσαντο. ήν δὲ τῇ ναῷ Θητηῷ καλλιστην.

(c) οὐτε γάρ δειπνησάι ἐστιν ημῖν αὐτοῖς λαλεσσιν, οὐτε δειπνήσασιν οὐδεσσι περιπατησαγγελανταίσασι τὰ σώματα αἴλλα καὶ ἐν τοῖς καιροῖς ἐκένοις Φιλολογεῖν, καὶ αὐτοῖς τὰ ἀντίγραφα παγυαλόμενα.

(d) οὐδενὸς υπεροπτεον τοῖς εἰς τὴν γνῶσιν εἰσαγγειούσοις. ὡς εἰ τις τῶν πρωτῶν σοιχείων, ὡς σμικρῶν, ὑπερβίδοι, πότε τῶν τελείων τῆς σοφίας εὑράψεται.

Prooemio de Spiritu S. docet, iubetque Theologos scrutari sententiam, in singulis vocibus & syllabis latenter. Certe nos commonere debent de necessitate huius artis tot codices, ab hostibus veritatis corrupti. Vix per Lutherum sacra emenda-ta erant, cum Leo X. P. M. gravi poena vetuit, ne quis librum aliquem prelo subiiceret, nisi prius per S. Palatii magistrum vel per dioecesis Antifitem diligenter examinaretur. Huius ita-que Exemplum secuti Episcopi & Inquisidores, varios librorum damnandorum indices, pro ratione temporis, emiserunt. Mox secuti sunt indices expurgatorii, videlicet Belgicus, Lusitani-cus, Hispаниcus, Neopolitanus, & Romanus de quibus vid. Guil. Cave (*e*) qui codices Patrum corruptos solerter indica-vit. His igitur codicibus lumen aliquod affundi debeat, quod ipsum accendere solet ars critica, & diligens in recognoscen-dis codicibus cura. Operae igitur pretium me facturum esse, arbitror, si tot tantosque huius artis interpretes & enarratores, qui de his literis bene mereri studuerunt, enumerare annitar. Persequar vero Historiam Scholiastrarum, ab aetate ultima, us-que ad aevi recentioris memoriam, eosque dirabus classibus includam, qui vel antiquis lectionibus, castigationibus, emen-dationibus, explanationibus, novis lectionibus, quaestionibus, variis lectionibus, variis observationibus ad scriptorem quem-dam commentati sunt. Sola divina excipio, quippe quae ex ingenio emendare velle, hominis esset non immotae, sed pe-nitus emotae, mentis. Unde etiam colligas, nihil huc afferri debere de Commentariis & Enarratoribus, qui observationi-bus suis verbosis interdum & copiosis sacrum codicem illustra-runt, nisi ubi proprie ita dicta scholia adsint, uti habemus scho-lia Graeca in Cod. sacrum, uti & Hebraea ad marginem Biblio-rum Stephani. Faxit Deus, ut laborem hunc feliciter finia-mus.

S. z. Scho-

(*e*) Hist. Lit. Script. Eccles. Proleg. Sect. V. p. 21. 22. 23.

§. 2. Scholia, ( si discesseris à prima & impropria significatione, qua hymni ita dicebantur, in honorem heroum cantari soliti, hinc scholium Hermodii apud Athenaeum; (f) vid. Andr. Schottus in Procli Chrestomathiam, & Vossius (g) ) breviores sunt explanationes, observationes & notae, locis difficultioribus & abstrusioribus sententiis, eruendis accommodatae, quibus in exquirenda lectione vera, explorandaque scriptoris mente, sublevamur. Notis eiusmodi instructi sunt omnes fere Poetae Graeci, item Editiones scriptorum veterum Schrevelianae, Rutgeri Hermannidis, saepe etiam Thysianae, aliaeque complures, quibus variorum notae selectae, hoc est, mancae & mutilae, attexuntur. Erasmus otiola exponit, Sixtus Senensis explicat *vacationes* sive *otia*, sive *per otium excerpta*, quibus quoties ad plenam commentationem otium deesset, ea tantum, quae sibi videbantur obscura, brevibus quibusdam annotationibus summatim perstringebat. Minus apte vero & parum apposite uterque reddidit. Σχόλιον enim, ut Vossius in Lex. Etym. ait, est *diminutivum ἀπὸ τῆς χολῆς*, notatque doctrinam scholasticam, seu, quae in scholis tradi solet. *Schola*, Graece & latine, praeter vulgatas significaciones, etiam *lucubrationem* designat, quae de re aliqua per otium elaboratur. Σχόλιον igitur parvam iocholam significat hoc est, *lucubratiunculam*. Speciatim vero χόλια dicuntur commentarioli & iuxta Svidam σεμνολογίατα, ή ὑπομήματα & ἐμνήσιαι. *Scholia* etiam dicuntur loci ex auctore aliquo de-prompti & excerpti, cuiusmodi ex Evangelio, quo Marcion utebatur, nonnulla depromptis Epiphanius, Haeres. 42. & χόλια seu excerpta appellavit. Perperam hoc nomine insigniuntur breves dissertationes, quod Hieronymus & Rufinus fecerunt, qui Origenis Commentariolos in Scripturam *excerpta* vocaverunt,

(f) L. XV.

(g) L. III. Inst. Orat. p. 417.

runt, adeoque omne scholiorum genus communi *Excerptorum* vocabulo indicarunt, quod tamen ad certam quandam speciem erat restringendum. Quoniam igitur brevibus sententiis hi commentarioli Origenis concludebantur, ideo *commenticum* interpretandi genus ea Hieronymus Prooem. Comment. in Matth. & Prooem Comm. in Ep. ad Galatas, appellat. Scholia vero ad oram sacrorum librorum attexuisse Origenem, ostendit Codex vetustissimus Renati Marchali, in quo omnes Prophetae continentur, quem laudat, in suis Origenianis Petrus Dan. Huetius, commemorans simul, in illo libro Prophetiae Ezechieli haec praefixa esse verba: μετελήθη ἀπὸ τῶν κατὰ τὰς ἐκδόσεις ἔξαπλῶν, καὶ διωρθώθη ἀπὸ τῶν οργιγένες αὐτῷ τετραπλῶν, ἄτινα καὶ αὐτῷ χειρὶ διώρθωτο, καὶ ἐχολιογράφητο. οὗτος Ευσέβιος ἔγε τὰ χόλια παρέθηκε. Hinc discimus, Tetraplorum limbos ab Origene scholiis fuisse instructos. Negat tamen idem Huetius, annotationes istas, quae in hoc Marchali Codice ad oram Ezechieли aliorumque Prophetarum attextae sint, scholia esse Origenis, quoniam partim variis interpretationibus, ex Aquila, Theodotione, & Symmacho depromptis, partim lectionibus variis, vel circa lectionum varietatem observationibus, constant. Hieronymum ampliori sensu χόλια accepisse appareat ex Prooem. in i. Comm. Esa. ubi *excerpta σημειώσεις* vocat. At, Philocaliae Cap. 26. *σημειώσεις* constitisse Tomis, atque adeo, quaecunque hoc Philocaliae capite fragmenta in Exodum representantur, petita esse εἰς τῶν σημειώσεων, pronuntiat. Ea vero neutquam pro *scholiis* haberi posse, sed iustorum locum explere commentariorum, Huetius recte contendit. Patet itaque, *σημειώσεων* vocabulum esse generatim capiendum, quo *Tomi* & *scholia* continentur. Ita intelligendus est Eusebius H. E. V. 20. cum χαριεσά-

*την σημειώσιν* appellat *obtestationem* quandam, quae ad finem libri Irenaei, περὶ ὑδατος, praeter contextum, adiecta erat. Hinc, quod Eusebius H. E. VI. 16. ubi de Hexaplis Origenis agit σημειώσιν Εβραιων dixit, commodius παραθέσεις τῆς Εβραικῆς ἐγνωμόνας Epiphanius extulit, quasi dicas, *adiectiones*. Optime quoque Nicephorus παρασημειώσιν reddidit, *descriptiōnē ad aliud additam*. Cum ergo scholia alterius scriptio[n]is explicandae gratia scribi soleant, eique saepe adiungi, propterea σημειώσεων nomine etiam appellari possunt. Ceterum uberior scholiorum explanatio tum ex ipsis scholiis, tum ex tota hac de his, eorumque autoribus, Historia & commen-tatione fusius à me deducetur.

§. 3. Ad quod propositum aggredi iam ausus, delatusque velut in ingentem sylvam, in qua pendeo animi, cui potissimum stipiti ferrum infligere debeam, idem mihi cogitandum esse, intelligo, quod sapienter praecepit Epictetus, (b) actiones humanas cum navigatione comparans, ubi si quis, navi paullum commorante, ex ea egrediatur, aquatumque exeat, obiter fortassis etiam cochleam aut bulbum colligat, animo nunquam non in navigium intento sit, oportet, semperque sollicito, ne gubernator vocet, ipseque illa omnia relinquere cogatur; ita, si in hac Historia partim notitia obscurior huius vel illius Scholiaстae, lectiones varian tes, variae aut corruptae interdum explanandi rationes, metaphrasies parum idoneae, partim etiam amoenitates & collectiones selectarum in ipsis scholasticis rerum, consistere iusserint & commorari, animo tamen semper attento ad scholiarum historiam respiciendum esse, recordabor. Scholia enim idem mihi fatum habuisse videntur, quod Echo, quae heroicis temporibus illis, pulcherrima fuit virgo, nunc nihil,

(b) C. XII.

nihil, nisi sonus, est; ita certe scholia, superiore memoria, eo in pretio erant ac dignitate, ut aliquid ingenio perfectum elaboratumque industria prae se ferrent, inclinante autem aetate, ita sunt attenuata, uti saepenumero nihil, preter voces habere videantur. *Quis enim (i) neget, scholia etiam ipsa laborare passim nec raro emendatione alia, & explanatione, adeoque scholiis quibusdam novis, indigere re in primis incerta & inclinata?* De Averroe, ut vulgo vocatur, Erpenius in hanc sententiam verba facit, ut dicat, *eum ita latine balbutire, ut merito conqueramini, intelligi cum vix posse, & interpretem in ipso desideretis interprete.* Vid. Anton. Posselinus in Bibl. selecta. Casaubonus (*k*) alicubi conqueritur, Scholiaстas graecos admodum esse interpolatos, neque cum scriptis codicibus convenire, & tamen sermo ibi est de nobili praeter ceteros Apollonii Rhodii Scholiaстe. conf. Iac. Gronovii Observ. Script. Eccles. p. 73. & Iac. Perizonii Animadvers. Hist. p. 417. Michael vero Neander, in notis ad Theogn. p. 272. ait; *Multos Homeri versus apud Platonem & Synesium aliter legi, quam in recentioribus editionibus Homeri.* Liberandi tamen ab hac culpa sunt Scholiaстae, cum saepenumero ipsimet scriptores sint hallucinati, cumprimis vero Poetae, de quibus Wetstenius Diff. de Accent Graec. ait; *nullam propemodum barbarismi speciem esse, qua non in prae-*

B 2

Plan.

(i) Obiter saltem id monendum, duxi, quod confirmatur vel ex unico loco Theocriti Eidyll. III. v. 30. videlicet usus obtinuit apud Graecos, ut per papaveris & anemones herbae folia tentarent, utrum amafisi suis grati acceptique essent, hinc cubito aut humero, ea imponebant, & si percrepuissent, aut ruborem contraxissent, amari se, augurabantur. Cum igitur Theocritus vocabulum πάχει usurpet, Scholiaстes falso id υπὸ τῶν χειρῶν interpretatur.

(k) Lect. Theocrit. p. 392.

*stantissimis Poetis reperiatur, unde Claudius Salmasius, in no-*  
*tis ad Spartiani Pescenn. p. 680. diatriben de Poetarum*  
*vitiis promisit. Παρεπήματα eiusmodi in Homero obser-*  
*vata fuisse, confirmant M. A. Maioragius, Praef. in Homer.*  
*Dan. Heinsius, Proleg. Exercitt. SS. Ioach. Camerarius, Praef.*  
*Not. in Iliad. ed. Basil. Hebraismos in eodem vate observa-*  
*runt Thom. Gatakerus in Cinno c. 9. p. 93. Perizonius de*  
*Stud. Theol. c. 12. De Virgilii, Ovidii, aliorumque vitiis conf.*  
*Passeratius in Orationibus, Petrus Nannius in Miscellaneis,*  
*Muretus in variis LL. Quare in viam ut redeam, procul*  
*dubio veriam impetrabo à L. B. si, quatenus ea res faculta-*  
*tem habet, excusione necessarias quidem, at breves tamen,*  
*instituam, observationesque, sicubi sit opus, addam, quo*  
*res omnis in expositionis progressu vel sic dilucidior eva-*  
*bat.*

§. 4. Tres omnino Grammaticae partes tribuit Iohann.  
a Vover, Polymath. C. VIII. 65. τεχνικὴ sive μεθοδικὴ, ἐξηγητικὴ  
& κριτικὴ. Hanc distinctionem in Historia Scholastarum ad-  
hibere constitueram, mihiique iam deliberatum erat, ita ut pri-  
mae classi assignentur μεθοδικοὶ sive τεχνικοὶ, isti videlicet, qui  
grammaticis aut Rheticis, Lexicis identident ac glossariis o-  
peram dederunt, eaque miro artificio ac stupenda saepenumero  
industria elaborarunt. Sed quoniam dudum nomina Gram-  
maticorum, & quid singuli in eo genere scripserint, diligenter  
annotavit Gesnerus L. I. Pandectarum, et latinorum quidem  
Tit. II. III. IV. Graecorum autem Tit. XX. par. 3. quor-  
sum etiam pertinet liber Svetonii Tranquilli de illustribus  
Grammaticis, plenus vero de iis et quidem secundum o-  
mnes Grammaticae species egit Gerardus Ioann. Vossius Lib.  
I. Aristarchi sive de arte Grammatica C. V. VI. VII. quibus  
addenda sunt, quae Lib. de Philologia C. IV. §. II. C. V. §.  
II. &

12. & C. VII. leguntur. Denique recentiores aliquot Grammaticos commendavit Raphael Volaterranus L. XXI. commentarior. urbanor. Referendi huc etiam sunt Auctores Latinae Linguae in unum corpus redacti, adiectis notis Dionysii Gothofredi, ac praeter hos alii Grammaticae latinae auctores antiqui uumero XXXIII. uno volumine comprehensi, opera & studio Heliae Putschii. Seorsim vero Lexicographos indicavit Gesnerus d. I. Tit. II X. IX. XIX. XX. parte 5. De Lexicorum differentiis et scriptoribus Graecis praesertim, nervose etiam differit Philippus Jacobus Maussacus Dissertatione critica subiuncta Lexico Harpocratoni, nolo hac ratione latiores historiae Scholiastrarum fines describere, sed satius esse duxi, si discernam Scholiaстas in ξερτησ & εξηγητικασ, Scholiaстae κερτησοι sunt, qui, ut Maussacus ait, praecipue circa tria versantur, circa obscure dictorum explicationem, bonorum & sanorum iudicium, et verorum germanorumque ab adulterinis distinctionem; item qui de dicendi ratione statuunt, quae sunt intellectu difficilia perspicue exponunt, ambigue dicta sedulo excutiunt, & de tota oratione sagaci ingenio, acrique iudicio verius exquisitus que sententiam dicunt, aut ingeniosa quadam analysi argumenta scriptoris explanant, et si Diis placet, interdum etiam in librariorum fidem inquirunt, & si obelo opus est, verum autori sensum reddunt, saepe etiam alterius scriptoris οινομασιαν alterius αταξιαν reprehendunt, aut ubi decorum non observavit, carpunt, v. c. quando Servius in hos 4. versus L. I. Aeneid. Et iam finis erat &c. scribit, pulchram esse dispositionem carminis, nam parum apte pronunciatum fuisse, si ex abrupto transitum fecisset. Bene itaque recteque Virgilium fecisse, inducendo Iovem et de rebus humanis cogitantem, & Africam respicientem, ad quam venerant Troiani.

B 3

Unde

Unde, inquit, honestus color est, ut Venus adeat Iovem, timens ne Romana fata Carthagini concedant. Idem laudat in 3. versibus L. XII. Aen. *Hic mentem &c.* Scholia stae εξηγητικοι sunt, qui enarrant saltem autoris verba, atque copiosioribus commentationibus ea illustrant, aut ex Antiquitatis, Historiae, Geographiae & Chronologiae &c. monimentis explicant, item qui Metaphrasest instituunt, aut de rebus Philosophicis disquirunt. Sic, quando Aen. VI. de geminis somni portis agitur, Enarrator Servius hoc ad physiologiam refert, et per corneam portam oculos significari, ait, per eburneum vero os, quamvis subinde hunc enarratorem Virgilii hac praecipue in parte refellat Henr. Stephani in Dissert. de Criticis p. 163.

§. 5. Intuentibus itaque nobis aetatem ultimam, terrasque dissitas & remotas bene etiam de his studiis, quae diligent in evolvendis scriptoribus cura, & vera eorundem explicatione aluntur, Viri artibus doctrinaque insignes mereri studuerunt. Hinc quod Orientalia studia attinet, totubivis scripta manu exarata abundant, quae quoad maximam eorum partem, nihil aliud sunt quam notae, scholia, & commentationes, quibus vel Coranum vel alias etiam libros Philosophicos v. c. Aristotelis (de quibus omnibus deinceps agemus) illustrare coeperunt. Quis enim neget multos scriptores ad id etiam tempus apud Arabes extare integros & incorruptos, qui apud nos aut non reperiuntur, aut misere admodum mutilati & depravati, adeoque ex Arabismo non sine magno literarum bono feliciter restitui nobis possunt, ut loquitur Erpenius. (l) Testes sunt Clenardus,

(l) Orat. de Lingua Arab. p. 35. Scitote, inquit, Titi Livii libros extare etiam eos, inquam, quorum iacturam totus dolet orbis latinus. Pappi Alexandr. libri ad Mathematicum scien-

dus, Postellus, Scaliger, alii. Sed de his opportune suo loco dicam.

§. 6. Ineamus iam numerum Rabbinorum, & ducio ab iis initio, nostris classibus hos Hebraeorum Scholia stas complectamus. His tamen, et si proprius eos noverim, nec difficile fuerit plenior em notitiam tradere, copiose non immorabor, quoniam maiora nobis atque identidem utiliora persequenda restant. Prima classis נזיר וריאς re praesentat, inter quos, uti ordo in re saepenumero obscura et incerta se se dat, agmen ducere uidetur R. ABRAHAM MEHABAR qui scripsit explanationem & scholia in Gemaram, quibus laudem non detrahit R. Gedaliia in Schalschel. Hakkabb. p. m. 39. ביאור על מהלך שכלי הדרות i. e. גוליא in Grammat. R. Mosis Kimchii, quae vocatur Iter semitarum scientiae. Haec Romae composuit, ut ipse testatur in Praef. 2da ad Librum Masoreth hammaso- reth, quamvis in fine huius libri legatur fuisse composita Paduae. Postea sub nomine R. Benjamin Ben Iudee Romani prodierunt Pisauri. Unde ipse auctor de hoc furto sibi invito Domino facto conqueritur in fine eorundem scholio- rum. Idem scripsit פרח רבבי Scholia in Grammaticam, quae dicitur; Apertio verborum meorum. Ita vo- catur quaedam absolutissima Grammatica, olim in Hispania com.

tiam resolutivam pertinentes, thesaurus inestimabilis, Ara- bice reperiuntur. Hippocratis & Galeni non pauca. Atque hoc viros nonnullos apud nos eruditione claros movit, ut dixerint, si scientiae Graecorum apud nos periissent, ex Lingua eas Arabica restitui posse, ut certe superiori seculo, antequam li- terae Graecae florarent, non pauci scriptores Graeci ex Arabismo in latinum sermonem sunt traducti.

*QK*  
*He*  
*6*  
composita ab ignoto auctore, quam e tenebris eruit, scho-  
liis illustravit, magna industria & labore in publicam lu-  
cem exposuit, ac imprimi curavit Pisauri sub Dominio Io-  
annis Sfortiae, & Venetiis subinde excusa fuit Ann. 1546.

R. IEDAAIAH Ben Abraham Happenini, scripsit ביאור sive  
elucidationem Commentarii R. Abrahami Aben Ezrae  
in Pentateuchum, in quo illius loca difficiliora ex-  
plicantur ; vid. Bartoloccius in Bibl. Rabb. T. 1.  
R. ELIAS HALLEVI scripsit scholia in Grammat. R. Mosis Kimchii,  
R. IOM TOV bar Abrahmi Ascuili, scripsit ספר מנדר עוז  
librum turris fortitudinis ; notae sunt in librum ליר Mosis  
bar Maiimonis contra הראנר & pro Mose Maiimonis acri-  
ter pugnat. Excussus est in syntagma cum Comment. e-  
iusdem Mosis in margine exteriori, cum in interna reperia-  
tur Comment. משלנה מנדר alterius Iom Tov. Unde male  
à Buxtorffio in Bibl. Rabb. uterque Commentarius tribuitur  
huic Iom Tov bar Abrahmi, quod idem facit Plantavitus,  
à Buxtorffio deceptus. Quod autem fuerint duo Iom Tov  
& hic bar Abrahmi posterior sit, patet ex Schalscheleth hak-  
kabbala p. m. 58. ubi refertur ; hunc R. Iom Tov peti-  
isse a vidua relicta post mortem prioris Iom Tov, ut  
vellet sibi esse in uxorem ; cui ipsa respondisse fertur.  
וּתְבָרֵךְ אַחֲרֹן לְבָבֵי רָאשֵׁן כְּחָלֶן שְׂוֹוָה רַכְנָן  
Iom Tov (hoc est dies festus) ultimus respectu primi tan-  
quam profanus reputatur à Doctoribus. Sunt igitur duo  
auctores sub nomine Iom Tov. Primus fuit Auctor מנדר  
& secundus super משלנה עוז uterque super משלנה הורה scripsit.  
R. MOSIS ISARLASCH scripsit Librum Annotationum sive Eluci-  
dation. difficiliorum vocum, & scholia in librum ערוץ שלחן  
R. MENACHEM Mersburgensis notas ad Sceeloth & Teschuvoth.  
R. ISSA CHAR BAAR scripsit librum eloquiorum  
intelligentiae, sive, explicationem exoticarum & diffi-

B.I.G.



AK. 523, 22.

Q. B. V.

B. M.

II C  
6

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO  
**DN. FRIDERICO AVGUSTO**  
ELECTOR. SAXON. HEREDE  
ETC. ETC. ETC.

# HISTORIAM SCHOLIASTARVM

PVBICE PROPONIT ET EXCVTIT  
PRAESSES

M. ERDMAN. GOTHOFREDVS  
CAMENTIVS

AL. EL.

RESPONDENTE

JUSTO HENR. CALMBERGERO,  
SALZ. THURING. SS. TH. ET PH. CULTORE

AD D. III. IVL. A. c 12 12 CC XV  
HORIS MATVTINIS

VITEMBERGÆ  
Typis CHRISTIANI SCHROEDERI Acad. Typ.

